[3.]

DE

PROCIDENTIA UTERI

SPECIMEN INAVGVRALE CHIRVRGICO-MEDICVM

QVOD

CONSENSV ILL. FACVLTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

DIE XXXI. DECEMBRIS A. MDCCLXXXVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOAN. HENRICVS WILHELMVS KLINGE

GOETTINGENSIS.

Annexae ſunt II. Tabulae.

GOETTINGAE,

TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.



Prolegomena.

Finito ſtadio academico primum id meditabar, ad quam artis ſalutaris partem animum adverterem, ut ſpecimen exhiberem elaboratum. Tandem placuit notatu dignam materiam de procidentia uteri connexa cum peſſariorum deſcriptione & applicatione eligere. Animus quidem non eſt, aliquid novi excogitare, atque in medium protrudere, id quod nimium eſſet ei, qui non, plane omnia artis ſalutaris adyta penetravit. Quantum vero fieri potuit, id modo cogitavi, ut ſenten-

tias diverſorum clarorum in hac arte virorum colligerem, atque quaedam peſſaria forma exprimerem, quasdam una recenſiones ex noſtro utiliſſimo Inſtituto Regio Clinico adjungerem, quod jamjam ſub auſpiciis atque directione Ill. Fischeri praeceptoris colendi floret. — Quomodo rem tetigerim atque ad finem quaeſitum tetenderim: id judicio lectorum probae fidei cum verecundia permitto.

---

§. 1.

Definitio & Deſcriptio morbi.

Sub nomine procidentiae uteri intelligitur deſcenſus ejus e loco priſtino forma non mutata, & quidem orificio ejus praevio, per vaginam extra partes genitales. —

Ea

Ea eſt definitio morbi, qui adpellatur *procidentia* ſeu *prolapſus uteri*, gallice *Déſcente, Chûte, ou précipitation de la matrice*, graeco idiomate, *προπτωσις της μητρος*, anglice *Downfalling of uterus*, belgarum lingua *Uytſynkingh der Lyf-Moeder* & germanice *Muttervorfall, Mutterausfall*, tam apud veteres, quam apud recentiores auctores, de quo hic proprie agitur. Huc ergo haud pertinet depreſſio, nec inverſio, nec retroverſio uteri, nec prolapſus vaginae, quatenus hic poſterior non eſt ſequela prolapſus uteri. — Priſci Medici jam probe callebant hoc diſcrimen, quod clariſſime patet ex ſcriptis HIPPOCRATIS a), BALLONII b), AETII c), PARAEI d), ROUSSETI e), PRIMEROSII f),

 RUY-

a) De morbis mul. L. II. aliisque locis.
b) Opera omnia medica T. IV. Cap. IX.
c) In opp. Spachii.
d) De generat. hom. in opp. Gaſp. Wolf. T. II. Cap. 61.
e) De partu caeſar. in opp. G. W. eod. T.
f) De morbis mulierum L. II. C. XV.

Ruyschii g), aliorumque rei medicae peritorum. — Quod mirum eſt, hoc malum, de quo hic ſermo eſt, obſervatum fuit non ſolum apud mulieres quae jam partus edidere, ſed etiam apud virgines h), imo adeo apud infantes i) & moniales k).

§. 2.

Etſi nemo hodie, poſtquam clarior lux adfuſa eſt, inficias ibit, eſſe prolapſum uteri: non defuerunt tamen olim viri, inter quos Kerkringium l), Roonhuysium m) nomino, qui de eo dubitarunt, aſſerentes:

Uterum

g) Opera anat. chirurg. T. I. Obſ. 7. p. 10.

h) Mauriceau Obſervations ſur la groſſeſſe T. II. Obſ. 96. p. 80.

i) Monro Sämtliche Werke p. 225.

k) Saviard Recueil d'obſervations chirurg. p. 50.

l) Obſervationes anatomicae p. 49. & 113.

m) Heel-konſtige Aenmerkingen p. 73.

Uterum esse nimis arcte annexum per ligamenta sic dicta lata & rotunda, osse pubis, sacro, aliisque proxime existentibus partibus, quam ut demitti posset. Concedunt quidem, casum accidere posse, ubi videlicet, per violentam extractionem secundinarum, vel per alias causas violentas, uterus per disruptionem ligamentorum protrahi possit: tum vero nullam sanationem esse posse, & adflictas certissima fata obituras esse. Quod alii tamquam uteri prolapsum venditarent, id illi tantummodo pro relaxatione tunicae internae vaginae habebant. — Hanc opinionem minus esse fundatam, id sane probant observationes & sectiones cadaverum RUYSCHII n), LE-

VRETI

n) l. c. ait: in pelvi cadaveris feminae qui locus est uteri nil vidimus, praeter unum ex ovariis cum annexa tuba & ligamento lato cet.

VRETI o), MAURICEAU p), SAVIARDII q) aliorumque, qui his doctrinis miram illustrationem adtulerunt.

§. 3.

Inde ab antiquissimis seculis prolapsus uteri discernebatur in descensum ejus & in procidentiam ipsam. Haec divisio etiam rei naturae est adcommodata. Vocabo igitur primum gradum, procidentiam incompletam, alterum vero, completam. — Intelligitur nempe sub *prolapsu incompleto uteri* ejus descensus ex suo pristino fixo loco citerius & inferius in vaginam, adeo inter labia magna, ubi attentio excitatur, vel per symptomata, de quibus mulier queritur, vel per

o) Journal de medecine par M. Roux T. XL. p. 170. seq.
p) l. c. T. I. p. 398.
q) l. c. Obs. II. p. 42.

per internam explorationem r). Si vero uterus offenditur extra magna labia, postquam vagina inversa & segmentum inferius sequuta est, tum *hic gradus procidentiae uteri vocatur completus.*

§. 4.

Disceptatur vero, utrum prolapsus vaginae semper antecedat procidentiam uteri, ac postea uterum protrahat? an uterus vaginam cogeret, ut sese verteret ac sequeretur? — potest equidem prolapsus vaginae praecedere uteri prolapsum, rarissime vero sequitur

 postea;

r) Quidam eum primum gradum prolapsus vocare volunt, si uterus absque symptomatibus excitatis se paulisper in vaginam confert. Quum vero id accidere consueverit mulieribus, quae pluribus vicibus parturiunt, nec alia signa proferri possint, praeter internam explorationem: haec attingere nolo, nec ulterius rimari.

poſtea; ac ſi inſequitur, tunc eſt ratio continuantis relaxationis, non vero prolapſus tunicae internae vaginae. Aſt vero ſi prolapſus uteri tranſit ad gradum ſecundum: tum neceſſe eſt, ut vagina uterum ſequatur, atque prolapſum vaginae excitet s).

§. 5.

Symptomatologia.

Quod attinet ad ſigna, quibus hic morbus dignoſcit r: facile ea ex uteri deſcenſu e ſede priſtina poſſunt derivari; dum ea re dolores non modo in partibus proximis, ſed etiam in remotioribus excitantur. Si deſcenſus uteri ſubito accidit per cauſam violentam: tum quoque ſymptomata ſunt vehementiora: at vero tolerabiliora ſunt, ſi uterus magis tardo motu, vel minus vehementiori cauſa delabitur. Utique non ſemper, ex his judiciis ſymptomatum, certo pro-

s) Ill. Levret l. c. p. 180.

prolapſus uteri concludi poteſt, niſi conjungatur exploratio interna. Id vero pro certo conſtat, nos per ejusmodi ſigna ad curioſiorem inquiſitionem partium genitalium excitari, ac ſi accidere vult id malum, per remedia debita poſſe amoveri.

§. 6.

Situs uterus eſt, ut anatomiae peritiſſimus quisque novit, in cavitate pelvis, fere ab oſſibus ilei circumdatur, cervix vero cum criſta oſſium-pubis in aequali eſt altitudine. Partes vicinae anteriores ſunt veſica urinaria, & poſteriores inteſtinum rectum, cum quibus ambobus conjunctus eſt uterus per continuationem peritonaei retrogradientis ab oſſibus pubis, quorum duplicitatibus deinde ſic dicta ligamenta lata & rotunda uteri formantur. Per has vias non modo ſanguinem recipit, ſed nervi ei quoque adducuntur, quibus ſubtiliſſimus conſenſus uteri cum ce-

teris viſceribus per totum corpus oritur. Et ea ratione quoque ſymptomata ſunt explicanda, quae ex dislocatione uteri ex ſuo ſitu oriuntur.

§. 7.

In *primo gradu prolapſus uteri*, quem ſecundum Ill. Levret t) *ſemiprolapſum* nominare ſolemus, uterus ex cavitate pelvis majoris, in minorem cavitatem ſe demiſit, atque reperitur in vagina, ubi premendo vicinas partes, ſymptomata ea quae ſequuntur efficit, quae vel eo majores dolores cient, quo magis uterus delabitur.

1) Mulieres conqueruntur de doloribus in regione lumbari, & oſſis ſacri, circa inguina, in cavitate pelvis ipſa, & in tota regione vaginae, quae ſymptomata ab tenſione ligamentorum & partium cum iis conjunctarum, ſunt orta, atque concludenda.

2) Sen-

t) l. c. p. 180.

2) Sentiunt gravitatem quandam in superiori vaginae parte, quae efficitur partim per pondus uteri, partim per intestina in eum prementia u), quae gravitas recta corporis statione, accumulatione fecum, & appropinquatione fluxus menstrui augetur.

3) Proveniunt varia vitia circa mictum, quia per citeriorem descensum uteri, vesica urinaria in ejus locum succedit, unde collum vesicae plicam accipit, effluxum urinae impedit, imo vel adeo excretio urinae impedita accidere potest v). Haec impedita urinae excretio,

u) Campers Betrachtung über einige Gegenstände in der Geburtshülfe 1 Th. p. 107.

v) Conf. Fabre traité des observations de chirurg. p. 172. Astruc traité des maladies des femmes T. III. p. 403. ait: Lorsque la descente est incomplette, c'est-à-dire, lorsque la matrice tombe jusqu'à l'orifice

cretio, a multis mulieribus levamentum accipit, si se in genua demittunt, atque in cubitis nituntur, ubi eodem modo non solum uterus recedit, sed etiam vesica ad suam sedem regreditur, ita ut urina, pro eo ac debet, effluere queat.

4) Exoneratio alvi magna fit cum difficultate, nam demissus uterus comprimit intestinum rectum, feces retinentur, indurantur, ac levamentum alvi eo magis difficile reddunt.

5) Plerumque fluor albus hujus mali est comes, qui vel prolapsum antecessit, vel ut consequentia est consideranda.

Haec

l'orifice du vagin, la vessie se trouve comprimée, si le col de la matrice tourne de son coté; & alors sa cavité étant diminuée, les malades sont obligées de pisser souvent, & quelque fois même elles ont peine à pisser, lorsque l'urethre est fortement comprimée.

Haec ſunt fere praecipua ſymptomata externa, quae indicant prolapſum uteri primo gradu. Ea fiunt tolerabiliora, ſi mulier ſe tenet in ſitu horizontali, augentur vero ſi diu in perpendiculari ſitu ſe movet. Quo certius evinci poſſit, an ſit id malum, quod ſymptomata indicant, eo curatius exploratio interna eſt inſtituenda: ubi ſegmentum inferius uteri, ope digitorum proximum ac tumidum ſentietur w).

§. 8.

In *ſecundo gradu prolapſus*, uterum conſpicimus extra partes genitales, ſequenti modo

w) Ill. Levret l. c. p. 184. conſilium dedit, hanc explorationem eſſe inſtituendam potius veſperi quam mane, mulierique eſſe antea clyſterem adplicandum, ad evacuandas feces, quae ut peſſarium poſſunt retinere uterum. quia hic cardo rei verſatur in eo, ut ſemiprolapſus a prolapſu completo diſtinguatur.

modo jacentem: ita ut orificium uteri clare conſpiciatur, corpus autem ac fundus uteri, cujus extremitas ſub oſſibus pubis pendet, circumcluditur ab inverſa & ſegmentum inferius ſecuta vagina. Hae procidentes partes ſe offerunt viſui noſtro ut maſſam carnis oblongam, &, uti majores ajunt, ut glandem virilem. In pelvi nil amplius videre licet de utero, ſed locum ejus occuparunt vel veſica urinaria, vel proxime adjacentia viſcera, quibus ad introitum jam novum cavum eſt apertum. Hinc Ill. CAMPER x) prolapſum uteri contemplatur tamquam veram herniam inteſtinorum.

§. 9.

Quod omnia ſymptomata, quae in deſcriptione primi gradus indicabantur, jam ſecundo gradu non parum augeantur: id certe quisque haud difficulter judicabit, ſi uteri

ſitum

x) l. c. p. 108.

ſitum extra labia magna perpendit, atque conſiderat, quantopere tenſio ligamentorum uteri, cunctarumque conjunctarum partium, ut veſicae, inteſtini recti, immo adeo omnium viſcerum abdominalium increſcat. Unde non raro, ſi prolapſus fit ſubitaneus, animi deliquia, motus febriles, haemorrhagiae ac plura alia contingere videmus y). — Mictus eſt eo difficilior, quia jam fundus veſicae propius in cavitatem pelvis introiit, eoque plica in collo orta fortior eſt facta. — Per frictionem ergo, quam ſenſibilior vagina, atque ſegmentum inferius uteri, ab cruribus & veſtitu patitur, ut & per ſitum extra ſedem procidentium partium, non ſolum affluxus ſanguinis augetur, ac deſtillatione urinae partes inflammantur, eumque in modum intumeſcere poſſunt, ut usque ad dimidiam crurum regionem interdum dependere videan-

y) Primerosius l. c. de Heer obſerv. medicar. Obſ. XXII.

videantur z). Oriuntur in fine excoriationes, exulcerationes, indurationes fcirrhofae, unde carcinomata, ulcera fiftulofa, quae fiunt gangraenofa & mortifera a). — Infuper hoc accidit, fi aegrotantes mulierculae ex intempeftiva maleque adhibita celatione in caufa effe folent, quo minus tempeftive curentur. Immo adeo adfuefiunt huic malo, plicae & rugae vaginae abeunt, & fuper iis inducitur epidermis b), ut hac conditione multos per annos, quid? quod per totam vitam in eo ftatu permaneant.

§. 10.

Nihil vero medico practico ac pathologo, in prolapfu uteri attentione dignius effe

z) MAURICEAU l. c. p. 79. Obf. 96. multisque aliis locis.

a) Iconifmi de prolapfu uteri incompleto & completo inveniuntur in RUYSCHII operib. anat. chirurg. T. I. p. 11. fig. 8 & 11.

b) HILL medical and philofophical commentaries of Edinburgh p. 88.

esse potest, quam adhibere eam tum, cum fluxus menstruus orificio uteri procedit, ad quam prisci medici attentionem nos evocarunt. c) d)

Diagnosis.

§. 11.

Nullus sane morbus H. C. apud majores antiquissimo que scriptores tam confusus fuit, quam hic prolapsus. Id vero inde contigit, quia sexus sequior tunc temporis justo verecundior erat, qua pudicitia impediebatur, quo minus medico malum hoc detegeret. Non nisi obstetrices in his malis in consilium

c) Hippocrates de morbis mul. L. II. C. 39. 11.

d) Ob compressionem, quam uterus in vagina patitur. sanguis viam facilem retro non potest capere, ac menses non raro degenerant in haemorrhagiam habitualem,

lium ſunt adhibitae; quae huic morbo modo hoc modo aliud imponebant nomen. Inde fabulae originem traxerunt de hermaphroditis, quae denominatio olim non paucis feminis Romanorum tempeſtate vitam rapuiſſe videtur. — Mei officii ergo hic eſſe puto, lectoribus meis eos indicare morbos, quibuscum prolapſus facile confundi poteſt.

§. 12.

Cum prolapſu in primo gradu haud raro *fluor albus* eſt conjunctus, qui ab imprudentibus chirurgis & obſtetricibus facile exiſtimari poteſt pro pure, ſanie, i hore, & ab illis pro effectu & conſequentia ſcirrhi ſegmenti inferioris uteri tranſeuntis in carcinoma haberi poteſt; praeſertim ubi ſymptomata deſcenſus uteri eos magis deducunt ad ideas, quas male de carcinomate ſibi conceperunt, confirmandas. Exempla in promptu

promptu ſunt feminas a pſeudomedicis ita eſſe tractatas; cum tamen morbus non niſi prolapſus uteri eſſet, qua ſiniſtra cura vero non modo corpus miſerarum femellarum infirmatum, ac debilitatum, ſed malum quoque ita exacerbatum fuit, ut nulla reſtitutio per medicamina eſſet ſperanda e). — Negari haud poteſt, varias moleſtias congruere cum iis, quas carcinoma uteri ſecum ferre ſolet, e. g. dolores intra pelvim, in ligamentis uteri, in cruribus, difficilis mictus, immo adeo iſchuria, teneſmus; & jam dictus fluor albus; qui ſuccedente longo temporis commate, adeo etiam acris fieri conſuevit, quae circumſtantiae omnes ſuſpicionem eo magis augent. Verum enim vero; exploratio cautior atque cum ſaniori judicio inſtituta, ſymptomata, quae in ſtatu

e) Puzos traité des accouchemens p. 244. ſq. Levret Journal de medicine T. XXXIV. p. 454.

carcinomatis magis ſpaſtici ac inflammatorii generis ſunt, quoque per uſum antiſpasmodicorum ceſſant, cauſae antecedentes, effluxus ipſe, qui ut plurimum cum foetore conjunctus, ichoroſus & tenuior ſicuti in fluore albo obſervatur, ac tandem ipſa exploratio interna ſegmenti inferioris & colli uteri, quod in carcinomate, quam maxime dolorificum, durum atque inaequale hiulcum eſt; in caſu procidentiae vero, molle elaſticum, abſque ſenſu doloris tactu facile, aliaque ejus generis ſigna, nos confeſtim de rei veritate convincere poſſunt; praeſertim ſi excreſcentiae fungoſae pullulantes comparent, quae in vagina procedunt. f)

§. 13.

Longe alius morbus eſt *polypus uteri*, facile cum prolapſu confundendus. In ortu &

f) Miſcellan. N. C. Dec. I. Ann. II. Obſ. 121.

& praefentia hujus alieni corporis deprehendimus fere eadem fymptomata, uti in prolapfu uteri, praefertim fi magnitudine accrefcit, & vaginam implet. Ad eum diftinguendum de prolapfu, fequentia funt animadvertenda: interna exploratio eft fingulare atque praecipuum medium diftinguendi. Polypus enim in tactu ejus oftenditur longe mollior, ac minus fenfibilis quam collum uteri; fi tentamus eum reponere, tum refiftibilis eft, atque mulieri adfert varias moleftias, quae locum non habent, fi prolapfus retro infertur, fed potius minuuntur. Stylus exploratorius juxta eum in os uteri, adeo etiam usque ad fundum detrudi poteft. In prolapfu vero ftatim fertur in vaginam cum utero delapfam. Non reperitur in medio tumoris apertura, & fi qua eft, eam ftylo profequi non poffumus. Figura polypi refert formam piri, ab inferiori parte rotunda, lata, in fuperiori vero figuram habet arctio-

arctioem, id quod in prolapſu eo modo non ſic ſe habet. Si polypus prominet ex genitalibus: tum inverſioni uteri quidem non abſimilis apparet, ſed de quo hic loquor prolapſu uteri, per defectum oris uteri, per majorem gradum duritiei, ac per vaſa varicoſa ſanguifera, quae apparent, quam maxime eſt diſtinguendus. Ortus polypi & incrementum ejus tardius factum, tamquam ultimum requiſitum polypi adferri poteſt, quoniam ſucceſſive abſque cauſis ſonticis praecedentibus ſurgere ſolet: quum e contrario in prolapſu uteri aliqua ſaltem praecedens cauſa ſit vel leviſſima, in memoriam revocari ſolet. g)

§. 14.

g) Conf. Ill. van Swieten Comment. in H. Boerhaave Aphorismos T. IV. p. 530. Saviard l. c. p. 57. Ruysch l. c. T. I. Obſ. LVIII. p. 54. ſeq.

§. 14.

Ill. Saviard h) multique alii adferunt exempla in ſuis ſcriptis, feminas prolapſu completo laborantes, pro *Hermaphroditis* eſſe habitas, & quidem a medicis alias non minoris famae. Etſi vero hic error expertorum medicorum non excuſari poteſt; cum, ex rationibus praegnantibus, ejusmodi genus hominum non exiſtat: ſunt tamen caſus, quorum occurſu, feminae ab ignaris chirurgis & obſtetricibus tales fuerunt declamatae. Sic accidit virgini Toloſanae, quam vir ſupra dictus memorat. Juſſa enim eſt a magiſtratu loci, ubi verſabatur, virili habitu ſe induere. Miſera femina ergo coacta erat, per varias provincias vagari, ſeſeque pro ſoluto pretio conſpiciendam offerre; multique erant ſatis ſuperſtitioſi atque creduli, hanc feminam habere pro eo, quod non eſſet

 atque

h) l. c. Obſ. XV. pag. cit.

atque inde rumor de Hermaphrodita pervagabatur orbem. Supra indicatus chirurgus Parisiensis eam explorabat curatius, inspectoque errore confratrum, eam in feminarum ordinem restituebat. Si observamus etiam orificium in extremitate tumoris, ex quo tempore consueto menses fluunt: si clitoris imperforata, attentione quadam conspicitur, nec minus praesentia labiorum magnorum nympharumque, porro, si effluxus urinae observatur, praesentia mammarum, & quod certum argumentum est, facillima reductio hujus prolapsae partis: nullum restat dubium, quo minus credamus, adesse verum prolapsum, non autem scrotum.

§. 15.

Quartum morbi genus bene est distinguendum nempe *prolongatio colli uteri* seu portionis vaginalis, de qua re Ill. Hoin i) adfert

i) Journal de medicine T. XL. p. 352.

adfert obſervationes. Adſerit enim, quod collum uteri in naturali ſtatu, vix pollicis lati longitudinem habens, per varias cauſas poſſit prolongari, usque ad ſex, octo, & plures pollices latos, ac una, ratione voluminis, ad ſex vel ſeptem pollicum latitudinem extendi queat; quod de cetero corpus uteri ob eam rem non patiatur, ſed maneat in poſitione naturali. Diſcrimen hujus caſus a prolapſu non adeo facile eſſe, unusquisque perſpiciet, ſi ponderat magnam ſimilitudinem, quam uterque caſus habet. De exiſtentia ejusmodi prolongationis colli uteri, ſi quis dubitare velit, nimium audax in aſſerendo foret, cum plures Viri experti & prae aliis Ill. Levret k) id teſtentur. Forma cylindri inſtar in parte prominente, modus exiſtendi parum cum dolore conjunctus, ac ſucceſſivus, & impedita reſtitutio ac reductio ad locum interio-

rem,

k) l. c. p. 360. ſeq.

rem, quam obſervatores queruntur, claritatem aliquam adferre poteſt ad diagnoſin.

§. 16.

Cum *prolapſu vaginae partiali ſeu universali*, poteſt etiam procidentia uteri haud difficulter commutari. Signa ergo ſunt indicanda, quibus diſtingui poteſt. Vagina habet pro interno veſtitu membranam laxam, mollem, rugoſam atque facile cedentem. Haec tantum per varias cauſas adeo relaxari, atque expandi poteſt, ut ſe ſolvat ab ſubjacente tela celluloſa, atque vel tota procidit, vel modo unum latus ejus ſeſe extra vaginam oſtendit. — Si vagina plane prolapſa eſt: tum conſpicitur in medio tumoris inſurgentis apertura quaedam, ex qua tempore ſtatuto menſes profluunt. Hoc orificium ſine opere diſcernitur per oras complicatas, rugoſas, & quaſi intro verſas, perque multo majores hiatus, ab illo vero orificio,

orificio, quod discernitur per oras laeves prominentes. Nec quisquam valet cum stylo inter tumorem & labia magna penetrare. — Si unicum latus tunicae internae vaginae modo affectum est, tum conspicitur apertura in ora tumoris, non vero in medio. — In utroque casu vero error non habet locum: si una consideratur modus existendi: numquam enim se exserit signum dolorificum vel aliud symptoma. l)

§. 17.

Unus adhuc casus suspicionem prolapsus uteri in primo gradu movere potest, nempe *dislocatio matricis*, quam Ill. LEVRET quoque sub titulo *déplacement de la matrice* descripsit m). Feminae

l) LEVRET l. c. p. 178. BARBETTE Chirurg. P. 1. C. 8. p. 36. DAV. VAN DER BEEK de uteri procidentia.

m) l. c. p. 269. Ill. STEIDELE Sammlung chirurgischer Beobachtungen 3ter Band, p. 188.

Feminae ſentiunt varias moleſtias in pelvi, ſimiles iis, cum ex prolapſu uteri connexae ſunt. Praecipue premuntur urinatione difficili, abdomen plerumque eſt inflatum, &, ſi tangitur, dolorem excitat. Menſes ſunt inordinati, fluor quoque albus ſe exſerit. In exploratione interna, orificium uteri non reperitur. Hanc dislocationem uteri eſſe poſſibilem, id probant ſectiones cadaverum obſervatoris memorati. Offendebat enim uterum jacentem transverſum in pelvi, orificium in media parte inteſtini recti, & fundum in fundo veſicae; anterior pars uteri erat tumefacta ac inflata.

§. 18.

Non raro etiam obveniunt caſus, ubi *retroflexio ſeu retroverſio uteri* cum prolapſu primi gradus, ob dolores & ſymptomata, poteſt confundi. Nempe fundus uteri ſeſe demiſit, in hoc morbo, inter inteſtinum rectum

ctum & vaginam, atque movet ſymptomata ſuppreſſionis urinae & alvi obſtructionis. Id quidem eo, quod fundum uteri inteſtinum rectum veſicamque premit. Interna exploratio ac indagatio cauſarum, e. g. graviditatis, in tertio, quarto menſe, ad diagnoſin ſufficiunt n).

§. 19.

Hernia vaginae ſic dicta, facile poteſt diſtingui a procidentia uteri; quia partim tumor modo unum parietem vaginae adficit, partim quia os uteri in ſuo loco liberum ac plane tangitur.

§. 20.

n) Ill. WILLICH Beobacht. von einer Umbeugung der Gebärmutter, & Ill. WAITZ Abhandl. ſub eodem titulo. vid Ill. RICHTERI praeceptoris maxime colendi Chirurg. Biblioth. 5. B. 1. & 3. St. p. 132. & 548. Ill. HIRT Geſchichte einer Zurükbeugung der Gebärmutter, vid. STARKE'S Archiv für die Geburtshülfe cet. 1. St. p. 48.

§. 20.

Hydrops perinaei quoque occaſio eſſe poteſt ad confuſionem. Nam paries poſterior vaginae per inſtillatam aquam expanditur, tumque prominet veſicae inſtar. Facile autem convincimur, per fluctuationem aquae in tumore; de rei veritate.

§. 21.

Circumſtantia quoque apud multiparas gravidas, contemplatione digna videtur; ubi videlicet in anteriori parte vaginae, ſub arcu oſſium pubis rotunda plica per internam ſcrutationem ſentitur; quae vero nihil eſt aliud, quam membrana interna vaginae depreſſa per caput infantis.

§. 22.

Quod reſpicit diſcriminis judicia, inter *inverſionem uteri* & prolapſum; non adeo

magnis

magnis cum difficultatibus ſunt conjuncta; ſi ex parte cauſas occaſionales, e. g. violenta extractio ſecundinarum, partus acceleratus, & alia plura in cenſum veniunt, ex parte ſi attentionem dirigimus in externa ſigna manifeſtiſſima.

§. 23.

Id quod attinet ad *prolapſum uteri gravidi*, equidem videtur mirum quid eſſe: interim exſtant Viri fide digni, e. g. FABRICIUS o) JALOUSET p) GIRAUD q) SAVIARD r) PORTAL s) & DUCREUX t), qui veritatem

o) Progr. de foetus vivi extractione utero prolapſo. Helmſt 1748. vid Ill. HALLERI diſp. chirurg. Tom. III. p. 434.

p) Journal de medicine, T. XLIII. p. 366.

q) l. c. T. XLV. p. 232.

r) l. c. Obſ. XV. p. 66.

s) Memoires de l'acad. royal. T. III. p. 369.

t) in eodem libro ac pagina.

tem ejus per observationes asseruerunt u). Praesupponi autem oportet, quod apud feminas quibus prolapsus uteri gravidi accidere debet, jam dudum procidentia uteri antecesserit: tum quidem tempore partus, aut quoque brevi ante, per pondus fetus inclusi, aut per nimiam resistentiam colli uteri, & relaxationem fundi vaginae, per vehementem nisum inter parturiendum, per profusionem dolorum stando, & per extraordinariam amplitudinem diametrorum pelvis, ejusmodi procidentia evenire poterit.

Aetiologia.

§. 24.

Jam pergo ad causas, quae dividi possunt in *proximam* & *remotas*, hae vero iterum in *praedisponentes* & *occasionales*.

De

u) Ill. Levret dubitat uterum gravidum procidere posse, atque credit, esse tantummodo

De *causa proxima* judicium antiquiorum medicorum omnino est longe diversum ab judicio recentioris aevi auctorum. — Majores autumabant eas quaerendas esse in relaxatione aut ruptura ligamentorum uteri. Opinabantur enim quod in casu relaxationis, ligamenta uteri per congestionem serosorum ac mucidorum humorum, per cumulum cruditatum, per refrigeria aliasque causas, quasi paralytica fierent, atque inde uterum in loco suo retinere non possint; quod in casu rupturae, per causam violentam, facta putredine & suppuratione id malum existeret v).

§. 25.

do prolongationem colli uteri, in quo infans cum capite sit, atque extra labia magna eminere. vid. Journal de medecine T. XXXIV. p. 457.

v) GOELICKE tract. de procid. uteri & BOEHMER de prolapsu & inversione uteri ejusque vaginae relaxatione in Ill. HALLERI disp. chir. T. III. MAURICEAU l. c. T. I. p. 390.

§. 25.

Ad hanc refutandam opinionem, nil amplius requiritur, quam ut ſtructura ligamentorum uteri anatomice contemplemur: ac tum ſine negotio invenimus, ea conſtare duplicaturis peritonaei, quae retibus nervorum vaſorumque ſanguiferorum percurruntur, id quod profecto adverſatur ideae, quaſi facerent aliquid ad confirmationem w). Obſervationes quoque id evincunt medicorum, qui operam navarunt, illuſtrare cauſas hujus morbi, qui omnimode reperiunt ligamenta uteri

p., 390. Puzos l. c. p. 241. Smellie treatiſe on the theory and practice of Midwiſery, p. 422. Aitken principles of Midwif. Edinb. 1785. p. 112. aliique.

w) Ill. Haller prim. lin. Phyſiol. Cap. XXIX. §. 842. ait: Peritonaeum utero adcurate nectitur abſque adipe medio, ut ipſi undique pro externa membrana ſit. Non intercidit, quin totus uterus mobilis ſit.

uteri fuiſſe etiam in naturali ſitu relaxata x). Dolores in ligamentis oriuntur plerumque, ſi prolapſus iſtat, non vero ante ejus impetum, augentur cum ejus incremento, & ſunt ſequelae tenſionis, quam partes patiantur. Si vero uterus ſuffulcitur, atque ea re tenſio tollitur: dolores tranſeunt, atque inde tuto concluditur falſitas opinionis priſcae veterum.

§. 26.

Probabilior atque experientiae magis congrua ſententia plurimorum auctorum noſtri aevi, qua docemur, contemplandum fundum vaginae eſſe, ut ſolum uteri fulcimentum. Quid enim eſſet, quod retineret uterum in ea poſitione, niſi eadem haec pars: cum vel nec

x) Saviard l. c. Obſ. XI. p. 42. Ill. Camper l. c. p. 107. Astruc l. c. T. III. L. II. Cap. 10. p. 396. Levret l. c. T. XL. p. 169. ſqq.

nec a latere anteriori nec pofteriori cum firmioribus partibus fit in nexu, quam cum fic dicta vagina? nifi natura adeo etiam hanc iterum per ligamenta facro-ifchiadica, atque per mufculum conftrictorem cunni muniiffet, atque in fuis limitibus teneret: feminae etiam vel non adeo vehemente corporis motione, vel in quovis partu prolapfum uteri deberent metuere. — In procidentia ergo oriunda neceffe eft, ut fulcrum, quo uterus in fuperius cogitur, non amplius gravitati corporis fubjacentis refiftere poffit, hoc eft: ut vagina in parte fuperiori, ubi connectitur cum fegmento inferiori uteri, relaxetur, extendatur, corpusque uteri recipiat. Si ligamenta facro-ifchiadica & conftrictor vaginae fufficiunt, gravitati uteri delabentis refiftere: tunc modo prolapfus eft primi gradus, hoc eft incompletus. Si vero partes jam memoratae coguntur cedere, vel per violentum effectum, vel per longum

tem-

temporis intervallum, vel per continuatam causam relaxantem: tum demum existit prolapsus uteri completus, sicuti a me sub decursu hujus morbi delineatus est.

§. 27.

Determinata proxima hujus mali causa, progrediendum est mihi ad enumerationem *causarum remotarum*. Ordior ergo a *causis praedisponentibus*. Sub hoc nomine eae intelliguntur, quae vel quovis modo relaxationem fundi vaginae excitare possunt, sic tamen, ut nondum prolapsus inde eveniat. Sunt modo, ut pathologi ajunt, seminia morborum, quae sine accessu potentiarum morbum proprium efficere nequeunt. Quae tamen partes in eum statum atque situm conjiciunt, ut vel levissimis causis ex pristino situ moveantur.

§. 28.

Quemadmodum vero laxitas pulmonum, viscerum abdominalium, & vitia aliarum

 partium

partium C. H. a parentibus in liberos quasi haereditaria mala traducuntur: sic opinor, talis dispositio ad hunc morbum in matre ad filiam transire potest. Haud secus eadem dispositio potest apud infantes in utero matris eorum, sicut quaevis alia monstrosa forma, progenerari, sine ullo respectu antea habito ad idem matris malum. Haec consistat licet in vero innato prolapsu, vel modo in inclinatione genitalium ad hoc malum: excitentur vel hoc vel alio vitio humorum matris, vel aliis vitiis aciei physiologorum & pathologorum ansam speculandi praebentibus: hae observationes quorundam doctorum huc spectantes nobis usui esse possunt, e.g. VAN DER WIEL y) qui prolapsum vaginae offendebat, in puella recens nata,

y) Obs. rariorum centur. posterior p. 369. Haec observatio proprie non ad rem facit, tamen satis esse posse, credo, ad thema meum confirmandum.

nata, quae insuper in lucem prodibat fractis vertebris lumborum. Quod exemplum saltim docet, quod prolapsus ejusmodi partium etsi non plane innascatur, attamen dispositio certe per nativitatem oriatur. Pathologi id sub titulo vitii connati exprimunt.

§. 29.

Quod genitales partes in articulo partus variis modis male afficiantur, id clarum est ex numero malorum infinito, inde provenientium, quae malorum seges adscribi pot_est, vel imprudentiae, vel ignorantiae obstetricum, vel male applicatis instrumentis & manibus, in sinistro infantis situ, vel praeternaturali magnitudini alicujus partis infantis, e. g. si partus prodit natibus praeviis, si commoratio nimis magni capitis diutius, quam par est, in vagina durat cet. — Huc accedit adhuc si mulier est constitutione corporis laxiori & humidiori; si tonus fibra-

rum debilitatus eſt, morbo praecedenti, longo uſu medicamentorum reſolventium (& quidem mercurialium) calidis potionibus, habitatione in humidis nebuloſis regionibus; nec non duris continuisque laboribus corporis, quod per antecedentes partus labefactum eſt; nimia pinguedine corporis, quam ſubito ſequitur macies; porro ſi genitalia ſuppoſitis carbonibus ardentibus foventur; ſi mulier ſaepiuscule nudis pedibus per aquas frigidas meat (ut majores credebant); ſi fluore albo laborat, aut ſi menſtrua nimis ſunt profuſa; aut adeo ſaepe haemorrhagiis habitualibus eſt adflicta, vel alvum habet duriorem: tum certe ex omnibus his rebus diſpoſitio ad hunc morbum conjicitur, immo adeo ipſe prolapſus generari poteſt.

§. 30.

Cauſſae occaſionales ſi accedunt, hoc eſt, ſi certae cauſſae vim habent & exercent in

uterum,

uterum, ut ex ſuo loco deprimatur: tum exſerit ſe morbus, quem novimus ſub denominatione prolapſus uteri, quae cauſſae, ut dixi jam, diverſae poſſunt dari. — Numerus cauſſarum ſane non parvus eſt: ſed omnes eo reduci poſſunt, quod ex ratione ſupra adlata, preſſione actum exerceant. Eo referuntur ea, quae ſequuntur: duri gravesque labores, praecipuè ubi corpus incurvandum eſt; ut fieri ſolet ruri more conſueto in ruralibus operis; ſaltus de alto quodam loco cruribus diſtractis, retentaque reſpiratione; tuſſis vehemens diuque durans, in ſpecie tuſſis convulſiva; ſternutatio z) acriter concutiens; vociferatio & cantatio, utpote quae cauſſa in monialibus locum obtinere poteſt; contentio in detrahendo gravi onere ex alto loco, aut quod

 mulier-

z) Mirandum ſane eſt, quod majores ad prolapſum reducendum errhina dederint, quia augurabantur uterum cum reſpiratione reduci.

muliercularum more consuetum negotium est, expansio & adfixio linteorum ad fenestras; asthma convulsivum & suffocativum, insultus epilepticus, dysenteria ex infirmitate & conatibus iteratis ad exonerandam alvum, vomitus enormis & inprimis cholera; cadens onus quoddam in abdomen, aut currus incursio super corpus, saltus supra fossam, animi pathemata, polypus orificii uteri, terror, subitanea relatio rei ingratae, magna coeundi libido (ex majorum sententia, utpote opinantium, uterum tunc descendere.) a)

§. 31.

Usitatissime dat partus caussam occasionalem, etsi LA MOTTE b) non vult hoc fa-

a) ARISTOTELES de hist. anim. L. 7. C. 2. ait: multis furore veneris percitis, vel juvenilis aetatis ratione, vel longa desuetudine descendit uterus, qui, ubi satiatus fuerit, sese deinceps in suum locum recipit.

b) Traité des accouchemens T. II. p. 1252.

fateri, praecipue ſi mulieres coguntur dolores ad partum maturius perdere, quam neceſſe eſt, aut jubentur toto tempore ſtare, vel quoque in hoc poſitu partum edere. c) — Itidem prolabi uterus poteſt: citiori attractione funiculi umbilicalis ad protrahendas ſecundinas, antequam ſolutae ſunt, & priusquam natura ipſa conatur eas ex utero amoliri. Porro hoc malum ingruit, ſi mulieres confeſtim partu edito, ad ſua negotia redire ſolent. — Plurimae harum cauſarum ita agunt, ut per tenſionem muſculorum abdominalium, & diaphragmatis, cavum abdominis coarctatur & contenta ejus pelvim verſus urgeantur.

Prognoſis.

§. 32.

In genere adſeri poteſt, in quovis prolapſu prognoſin eſſe dubiam. Interim tamen

c) Ill. Haller praelect. ad H. Boerhaav. inſtit. medicinae p. 58.

men ea propius determinanda fecundum ejus gradum. Cardo rei verfatur vero in eo, utrum uterus plus vel minus defcenderit, utrum inflammatus, exulceratus, gangraenofus fit. Pro fecundo ipfae aegrotantes, aetas earum, atque corporis conftitutio expendenda eft. Ad haec omnia fpectandum: utrum cura radicalis, an palliativa, an nulla fit adhibenda. — In prolapfu incompleto recenti, in corpore faniffimo juvenili, ac florente, fine remota longiore praedifpofitione orto, prognofis femper eft felix ac fpes praebetur, feliciffimae fanationis. — Si vero contraria omnia contingunt, fi prolapfus eft completus; tum vifcera abdominalia, ut in herniis fieri folet, locum eum implerunt, ubi antea uterus erat, atque adeo per quasdam occafiones accidentes accreverunt: tum demum prognofis dubia eft, ad felicem reparationem fanitatis curandam. — Huc accidit, fi uterus per longam annorum

rum intercapedinem prominuit, de quo casu MAURICEAU d) & SAVIARD e) exempla in medium protulerunt; sique scirrhosus est redditus, & ratione voluminis multum increvit, si per defluxum urinae inflammatur, vel adeo exulceratur, atque in carcinoma abiit: tum quoque prognosis admodum dubia est, ac morbus incurabilis. — Uterus prolapsus si gangraenosus est (quod rarius in hoc accidit, quam tum, si uterus invertitur), tum sane est periculum in mora, & mulier versatur in articulo mortis. — Ex consueta & vulgari sententia creditur, quod uteri prolapsus impediat conceptionem & graviditatem. Id vero suam admittere exceptionem, hoc per experientiam probavit JALOUSET *) in femina, quae tum, cum concubuit cum marito, uterum redu-

d) l. c. T. II. p. 79. seq.
e) l. c. p. 79. aliisque locis.
*) l. c. p. 366.

reducebat, qui tamen poſtea iterum exibat, quae nihilo ſecius gravida facta utero foris eminente, parturiebat.

Curatio.

§. 33.

In curando hoc malo, quod maxime moleſtum eſt, atque conſpicuum in feminis inferioris ſortis, partim urbanis partim ruſticis, tres indicationes ſunt peragendae:

1. Cavendus prolapſus, ſi nondum plane ortus eſt,
2. reducendus poſt ortum ad ſuum priſtinum locum,
3. retinendus eſt ſua ſede,

§. 34.

Ad *primam indicationem*, cavendum eſt, & id curandum, ut tam cauſae praediſponentes, quam occaſionales impediantur. In

actu

actu partus ideo caute profpiciendum, nec puerperis concedendum eft, ut maturius jufto ad operas fubeundas revertantur. Si metuendus foret prolapfus in femina, quae plures jufto frequentiores edidit partus: ei concedatur otium, duri intenfique labores impediantur, praefcribatur diaeta roborans, jubeatur comprimere genitalia, poft ceffationem fluxus lochialis linteolis vino calido madefactis, aut per metrenchytam infpergatur altius, ut fibrae vaginae iterum vim contractibilem & cum ea fimul robur obtineant. Si in magna fternutatione, tuffi, vomitu, in corpore fcilicet praedifpofito, prolapfus effet timendus, removeatur fubito, ex ratione cauffarum, quae convenit. Succurrendum eft obftructioni alvi diaeta fluidiori, moderetur medicus dyfenteriam aliosque fontes plures, ex quibus occafio quovis modo ad prolapfum fluere poteft. Roboretur corpus debilitatum, ufu chinae, li-

maturae chalybis aliisque remediis ad proximam caussam operantibus.

§. 35.

Si *descensus uteri* jam adest, quem ASTRUC (l. c.) primum gradum vocat, si segmentum inferius in exploratione interna tangendo sentitur propius: tum res omnis in eo agitur, secundum caussam proximam, quod ea omnino poscit, fundum relaxatum vaginae arctiorem reddere, atque contrahere, ut praeveniatur procidentiae, ne usus pessarii sit necessarius. — Antea vero quam ad usum remediorum externorum progredior, quaedam praemonebo *de diaeta vitaeque regimine.*

§. 36.

HIPPOCRATES f) dudum suasit diaetam parcam, eamque cum accommodato vitae regimine

f) De morb. mul. L. II. C. 38. (28.) ait: cibis vero paucissimis utatur neque acribus neque salsis.

regimine combinatam, quod fere primarium eſt requiſitum, ad hoc malum fugandum. — Prae aliis inſervit victus tenuis & ſiccus, huc pertinet uſus juſculorum ſucci plenorum, carnis aſſatae, tenerrimarumque herbarum. Porro commendanda ſunt varii fructus arborum, vel recentes, vel macerati; parcior uſus vini adſtringentis, & in genere ejusmodi nutrimenta, quae minus feculenti continent, atque aegrotanti non cient alvum duriorem, ſed liberiorem promovent. Legumina cuju vis generis minus apta ſunt, quia nutrimentum crudius eſt, ac feces nimias relinquunt. Jaceant ſemper in ſitu horizontali, magis duro quam molli lecto, levique tegumento contegantur. Id quoque curetur, ut aër habitaculi alternis vicibus renovetur. In exoneratione alvi maneant pariter in ſituatione horizontali g).

§. 37.

g) HIPPOCRATES porro ait (24) Ubi vero ventrem exonerare voluerit, decumbens id faciat. & ſic etiam LA MOTTE l. c. p. 1284.

§. 37.

Ut *remedia topica*, possunt adhiberi praecipue adstringentia tonica, de quibus materia medica infinitum exhibet numerum. Usurpentur partim in forma decocti ad injectionem, partim ut fumigationes, fotus aliisque modis. — Pro *adstringentibus decoctis* adhibentur radices bistortae, tormentillae, cortices e quercu & granatorum, gallarum turcicarum, flor. rosar. rubr. cet. Ex his speciebus eligantur praestantiores, infundantur vel vino rubro vel aqua fabrorum per aliquot dies, adfundantur adstringentia fluida ac solutione facilia, e. g. solut. aluminis, vel aqua vegeto-mineralis Goulardi vel oleum martis dilutum. Hoc applicetur ope instrumenti, cui nomen Metrenchyta, (Mutterspritze) h) vel subsidio spongiae formatae ad figuram vaginae fundo ejus inferatur.

§. 38.

h) Mentionem hujus Mentrenchytae multi auctores jam fecere, atque varias ejus figuras

§. 38.

Nec contemnendae sunt *fumigationes* *siccae* aut *humidae*. In priori casu inserviunt

gurás videre licet in BRAMBILLA Armament. Chirurg. Tab. XXX & XXXI. ut & apud AITKEN l. c. T. 5k. Quae delineata est Tab. I. Fig. 3. structa est ex laevi rotundo eburneo cylindro superne sensim fastigiato; ut eo melius inseratur. In fine ejus adligata est lagenula ex resina elastica cum ejus collo; quae 6 pollicum ambitum complecti debet: ut mulier eam commode manu tenere queat. In cylindro superne sunt quinque apertiones; per quas, si aër ex lagena premitur, materia injectionis sucta; & ope compressionis in lagenam egeritur. Id commodi habet hoc instrumentum, ut feminae ipsae id sibi adplicare possint. (Hanc Metrenchytam ad exemplum Ill. praeceptoris FISCHERI exprimendum curavi.) Ejusmodi breviter etiam meminerunt Ill. SCHWEDIAUER in Practical Observation. on venereal

viunt resinae fragrantes: thuris, mastichis, olibani, seu pulveris fumalis officinalis, de quibus carbonibus injectis, fumus ope infundibuli excipitur, perque cavatum sedile ad vaginam ducitur. — Pro humidis fumigationibus adhibenda sunt decocta ex herbis aromat. & florib. effectum optatum exhibentia, ut e. gr. herbae serpilli, thymi, rorismarini, cocti cum vino rubro, id quod prae ceteris PUZOS i) laudibus effert. Caveatur, ne haec remedia nimis calida adplicentur. Nec non generatim externa remedia sunt admovenda, quam diu menses & lochia fluunt.

§. 39.

Non adeo multum est tribuendum, internis medicamentis, neque multum auxilii ex

venereal complaints. Lond. 1784. 8. & Cl. WHITE Untersuchung der Geschwulst bei Kindbetterinnen an den untern Gliedmassen. Wien 1785. 8. p. 59.

i) l. c. p. 285.

ex iis ſperandum. — Haec enim remedia omnino tum aliquod ferunt auxilium, ſi prolapſus nondum plane ſe exſeruit: ſi enim jamjam delabitur in vaginam, vel adeo extra partes genitales conſpicitur: nulla ſpes levamenti ab iis capienda, ſed tranſeundum eſt ad uſum peſſariorum.

§. 40.

Quod ad *reductionem uteri* pertinet, ea facile peragi poteſt: ſi prolapſus adhuc recens ortus eſt, ſique prodeuntes partes nondum valde intumuerunt. — Multa tamen obſtacula plerumque ſe offerunt reductioni, quae penitius noſſe oportet.

Primum impedimentum eſt *anguſtia vaginae*, ſi in virginibus accidit, quod Ill. Camper k) adlegat. Ex hac ratione cum fructu adplicantur: vapores calidi ex decoctis emollientibus, inunctiones ex oleo amygdalarum, unguento dialtheae, butyro re-

 cens

k) l. c.

cens facto, aliisque ad relaxationem hujus partis cum commodo.

Alterum impedimentum faciunt *acervata urina* in vesica urinaria, atque *accumulatio fecum* in intestino recto, quae aditum, quam difficillimum reddere solent. Bene ergo agitur ex consilio Ill. LEVRETI l): aegrotanti antea emollientem clysterem adplicando, & urinam derivando, si sponte fluere recusat.

§. 41.

Si partes prolapsae per continuam urinationem, aut per fricationes a vestitu factas, vel excoriatae, aut adeo in quibusdam partibus exulceratae sunt: tum quidam suadent, antea sanare ulcuscula, & postea partes reducere. At vero Ill. SAVIARDII m) obser-

l) l. c. T. XL. p. 177. 8.

m) l. c. p. 46. & Ill. ac venerandus praeceptor RICHTER in Chirurg. Bibl. 7. B. 4. St. p. 655. ait: Man kann kein Beden-
ken:

obſervatio, & caſus quem ipſemet vidi, & cui interfui, me aliud edocuit. Adlata enim erat villica ex pago vicino Rosdorf in noſtrum Inſtit. Clinic. Reg., cujus uterus per ſpatium menſis prolapſus erat, ubi vagina valde excoriata & partim ulcuſculis obſeſſa erat. Attamen partes feliciter absque conſequente moleſtia reducebantur. Id certe probat: optime conſultum eſſe, cauſam excoriationis & exulcerationis, hoc eſt, procidentiam tollere. — Si autem partes *ſummo gradu inflammatae* fuerint, atque intumuerint,

ken haben, einen ſolchen Muttervorfall zurükzubringen, denn die Geſchwüre ſind nicht auf'm Körper der Gebärmutter ſondern an der innern Oberfläche der Scheide die ihn bedekt; und gewis heilen ſie auſſerhalb dem Körper, wo ſie manchen Reizen ausgeſezt ſind, nicht ſo leicht als wenn die Mutterſcheide zurük gebracht wird.

tumuerint, ſic ut nunc temporis nulla fieri poſſit reductio; tum demum adhibenda eſt methodus antiphlogiſtica, i. e. venaeſectio admittatur, cataplasmata emoll. imponantur, & ſitus corporis horizontalis commendetur, donec minuatur volumen partium.

§. 42.

Tum cum *procidentia eſt inveterata,* obſtacula ſunt majora, partim propter tumefactum uterum, partim ob mutationem ſitus viſcerum abdominalium, quae jam in locum uteri procidentis introiverunt n). Si ergo uterus eſt reducendus, loco priſtino diu exemptus, tunc conjunguntur cum reductione dolores colici, ob preſſionem partium vicinarum, obſtructio alvi, adeo etiam animi deliquia, aliaque ſymptomata, quae cogunt chirurgum,

n) Ill. Bruns Sendſchreiben an den Hofr. Henkel in Ill. Richter Chir. Bibl. 3 B. p. 140.

gum, uterum iterum demittere. Si nullo modo fieri poteſt, ut volumen vel per remedia emollientia, vel per reprimentia minuatur: nihil reliqui eſt, quam ut partes prolapſae, per ſuſpenſorium o) factum ex panno cerato, contra adfectionem aëris externi, urinae, fecumque tuto muniantur, eoque ſpectetur, ut quantum poteſt ulcera, ſcirrhus & gangraena arceantur. — Ill. SAVIARD p) ſuadet, in auxilium vocare aliquem, in ſuſcipienda reductione majoris voluminis, qui, dum nititur partes intro referre, interea partes ſuſtentet.

§. 43.

Si prolapſus cum carcinomata & gangraena conjunctus eſt: tunc mors eſt inevitabilis; niſi operatione praeventum fuerit. Ex-

 terna

o) ASTRUC l. c. p. 422. Ill. STEIDELE l. c. p. 171.

p) l. c. p. 76.

terna remedia in hoc malo parum juvant, ac meo quidem judicio, is ludere videtur, qui, ad tolerandam adfectam malo partem, eamque insuper inutilem suaderet: cum remedium securum optimumque, operationem scilicet, habeamus. q) Omnino quidem ejusmodi operatio, ut & aliae, e. g. bronchotomia, variis hominibus est inaudita, atque damnanda videtur; sed feminae versanti jam in periculo mortis est beneficium. Hanc vero operationem & resectionem sine vitae impendio fieri posse; id testantur exempla majorum, & nonnulli observatores nostri aevi r), quod

q) Ovid. Metamorph. L. I. v. 190. canit: immedicabile vulnus, ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

r) Paraeus opp. chirurg. L. XXIII. C. 41. Aetius libri medicinales L. XVI. Cap. 76. Paullus de re medica L. III. C. 72. Roussetus de partu caesareo in opp. Gasp. Wolf T. II. Hist. VI. p. 536. F. Plater obs.

quod ex errore commiſſo, vel ex indicationibus, uterus absque magnis ſequelis exſectus fuerit. — Operationem ipſam deſcribit ASTRUC, s) qui conſilium dat: ligaturam eſſe adplicandam ſupra ſcirrhoſam & gangraenoſam partem, in ſaniori ac ſincera parte, cavendum vero, ne meatus urinarius ipſe ſubligatur t). Exinde melius eſſe, ſi injectiones fierent, quo facilius diſtinguatur a partibus ceteris. Poſtea debere uterum ampu-

obſ. med. L. III. p. 718. habet elegantem hiſtoriam, de muliere cui corruptus uterus ablatus fuit, menſtruis poſtea per podicem conſtanter ſeſe expurgantibus. In recent. ſcript. leguntur exempla in Ill. WRISBERGII, praeceptoris maxime colendi, comment. de uteri mox poſt partum naturalem reſectione peracta non lethali. & FIGUET Journal de medecine T. XLI. p. 40. ſeq. cet.

s) l. c. p. 423.

t) RUYSCH l. c. T. I. Obſ. VII. p. 10.

amputari, ſubter ligatura, cultro incurvato, ſicut in amputatione in uſu eſſe ſolet. Vulnus eſſe deinde bene curandum, ac partes forſan adhuc prominentes eſſe reducendas.

§. 44.

Requiſitum vero praecipuum eſt ad ultimum, in reducendo utero, *ſitus aegrotantis*. — In ea re, ea quae ſequuntur ſunt obſervanda: ex conſilio Cl. Levreti u) adhibeatur in curatione, quantum poteſt matutinum tempus: quia ſitu nocturno horizontali, uterus ſi non totus, tamen ex parte introivit: praeterea reponatur corpus feminae vel transverſo ſitu in lecto, vel in ſella ad partum (Geburts-Stuhl) quam Ill. Stein invenit, ut podex altior ſit, crura ſint incurvata & extenſa, ſuperior pars corporis vero inferius declinetur, utpote quo ſitu cavum abdominis amplificatur, reductio uteri vero multum juvatur. Durante vero reductione

u) Journal de medecine T. XXXIV. p. 447.

ctione aegra se teneat sedatam atque tranquillam. — Remotis, ut credo, omnibus impedimentis, quae reductioni prolapsus obstant, progredior nunc ad ipsam reductionem.

§. 45.

Chirurgus digitos suos cum oleo olivarum vel amygdalarum, vel recens facto butyro, vel alia substantia ex oleo, nec minus partes procidentes illinat: adhibeat digitum indicem & medium dextrae manus, dum eos ambo, uti sit in exploratione interna, erigit & extendit, atque ita in regione orificii uteri, ergo in segmento inferiori adplicat, ad reductionem partium prolapsarum. Cum manu sinistra vero interea constrictorem cunni caute oleo tingat, atque simul parumper extendat. Reductio vero itidem caute fiat, & axi pelvis congruenter est instituenda; usque dum ad locum suum rediit, atque ulteriori re-

ductioni

ductioni obnititur. v) Si durante reductione vel post eam varii insultus oriuntur, quos supra induxi: tum fiat venaesectio, adhibeantur cataplasmata emollientia ad abdomen; ac detur leniter purgans ex rhabarbaro.

§. 46.

In *prolapsu uteri gravidi* observatores sequens praebuerunt consilium: Ill. GIRAUD w) inducebat uterum cum infante prolabentem; quia dolores ad partum non expulsivi

v) Veteres utebantur quibusdam adminiculis ridiculis, ad promovendam reductionem uteri. Adplicabant cucurbitulas cum multa flamma ad mammas; circa umbilicum, dabant sternutamenta; vomitoria; ARISTOTELES laudat adeo coitum, si summo desiderio uterus procidat. HIPPOCRATES de nat. muliebr. C. 39. commendat graveolentia in pudenda, quia opinabatur, uterum redire per graveolentia gummata.

w) Journal de med. T. 45. p. 232.

vi erant. Femina rei domesticae praeerat per decem dies, his elapsis feliciter edebat partum, nullo prolapsu postea insequente. Cl. JALOUSET x) cogebatur incisionem facere, quoniam orificium uteri erat callosum, ac femina jamjam per triduum doloribus ad partum erat adfecta; inde rumpebatur orificium magis magisque, atque infans in lucem prodibat. Ill. SAVIARD y) videbat quoque prolapsum uteri gravidi, & femina cum doloribus ad partum sufficientibus, infantem enitebatur. FABRICIUS z) eundem casum expertus est, & quidem in femina triginta annos nata, cujus uterus inde ab duobus mensibus ante dolores partus prociderat. Eam transverso situ in lecto jacere jussit; clunibus elevatis cum pectore, quo musculi abdominales relaxentur. Inde orificium uteri se aperiebat, atque mulier absque ulla instrumenti adplicatione partu gaudebat felicissimo.

§. 47.

x) l. c. y) l. c. z) l. c.

§. 47.

Ad *retinendum vero uterum*, ea quae sequuntur sunt observanda: corpus inferendum est, quod propter figuram & structuram potest segmentum inferius suffulcire, & prolapsum cavere. Hoc corpus vocatur *Pessarium*. Quorum cum magnus adsit numerus, nec omnia sint eodem usu, sed electio valde necessaria: infra operam navabo, species diversas proferre, atque modum adplicationis describere. — Pessario ingesto genitalia externa secundum consilium Ill. LEVRETI a) linteo convoluto sunt obtegenda, cujus posterior & anterior extremitas in cingulo circulari adsuta est, quo feminae abdomen cingitur. Si persona est firmiore corpore: tunc id non opus est, sed femina modo per aliquantulum temporis crura committat, ut pessarium possit

certum

a) l. c. T. XXXIV. p. 446.

certum capere ſitum. Jubeatur in primis temporibus abſtinere ab omni motu vehemente, ab adſcenſu graduum aliisque: commendetur ei diaeta, quae ſupra laudata eſt: ſaepiuscule injiciatur, ad fundum vaginae firmandum, unum ex ſupra nominatis decoctis adſtringentibus, vel vinum calidum, ut LEVRET voluit. Femina exoneret alvum vel ſitu horizontali, vel ita, ut preſſione in genitalia, quaſi prolapſum impediat. Disſuadeatur ei, nimia adplicatio clysmatum emollientium, nam HIPPOCRATES ait: reſtituto autem utero, non ſunt clyſteres injiciendi, ne pars magis relaxetur & humectetur. Si vero adſit indicatio: tum clyſter ex aceto & aqua conſtans, fini congruus, adhibeatur.

§. 48.

Feminam eſſe poſſe gravidam, etſi peſſarium in fundo vaginae lateat, id confirmant

mant obſervationes Rousseti, b) la Motte, c) Saviardi d) & Levreti e). Sit vero peſſarium rotundum, habens in medio apertionem, convenientem orificio uteri. — In medio tempore graviditatis peſſarium commode eximi poteſt: etenim partu adveniente extractio eſt periculoſa, in ſpecie ſi peſſarium diu latuit.

Haec ſatis dicta ſunto. Jam me verto ad tractationem de peſſariis, in qua vero tantummodo meditabor, de eo quod utiliſſimum

b) de part. caeſ. in Opp. G. W. T. II. p. 584.

c) l. c. T. II. p. 125. in nota ait: Si la femme incommodée eſt d'un bon temperament & encore jeune, on lui conſeillera la groſſeſſe qui ne la ſçauroit mettre en pire état: elle peut au contraire lui être ſalutaire & la guérir.

d) l. c. p. 42.

e) l. c. T. XXXIV. p. 458.

lissimum est, inutilia vero silentio praeteribo.

De Pessariis.

§. 49.

Usi sunt pessariis f) antiquiores jam inde a multis seculis: sed tamen non satis tuto determinari potest, quis eorum primus fuerit inventor. Verosimile vero videtur, quod in illis praeteritis temporibus ipsae feminae necessitate coactae fuerint, prolapsum uteri vel vaginae retinere. Sed tum non aderant artificiosa pessaria, quae jam in usu sunt; sed omne, quod usui esse poterat, ab iis adplicabatur: linteola convoluta, globuli cerei, gossypium aliaque plura. Majores sua aetate multum aestimabant ejusmo-

f) Aliis nominibus vocantur *suppositoria uterina*, *pessa*, *priapisci*, *balani*, *nascalia* cet. germanice *Mutterkränze*, *Mutterhalter*, *Mutterzäpfgen*.

ejusmodi pessaria, quorum ope medicamenta utero ingeri poterant, eo consilio; ut partim suffocationi, partim tumori succurrerent, jam ut excitarent fluxum menstruum, jam ut corrigerent nimiam uteri humiditatem, jam ut vermes ex eo expellerent, vel ut ad alios fines tenderent.

§. 50.

Jam pessaria usurpantur ob triplices fines: in prolapsu uteri, in prolapsu vaginae, & in hernia vaginae.

§. 51.

Pessarium in prolapsu uteri sit sequentibus qualitatibus: sit leve ac commodum ad ingerendum; segmentum inferius uteri fulciat, sine dolore excitato, nec plus justo extendat; non tegat orificium uteri: inde habeat in medio aperturam ad deductionem sordium,

ſordium, quae ergo numquam nimis magna eſſe debet; non impediat ſedes vel mictum; non facile poſſit arrodi: ergo non facile putreſcat, aut fragile ſit; ſine magna moleſtia ſit eximendum, ſi id volumus.

§. 52.

In prolapſu vaginae ejusque hernia, ut Vir Ill. ac Venerabilis RICHTER g) probat, peſſarium habeat formam cylindri, ad implendam vaginam totam in ſuo ambitu. Sit cavum: ut feces effluere queant; ſuperno loco ita ſtructum ſit, ut latas, planas habeat oras: ne orificium uteri & ſegmentum inferius teratur aut vulneretur. — Indicatis jam qualitatibus, quae requiruntur ad peſſarium, & quidem quantum potui breviſſimis verbis poſthabitis omnibus levioribus cir-

g) Abhandlung von den Brüchen, 2 Theil, p. 164.

circumſtantiis: lector benevolus jam de infra deſcribendis peſſariis judicium ſuum ferre poteſt: jam vertor ad ſpecialiorem eorum deſcriptionem.

§. 53.

Sphaerica peſſaria primo per majores fuerunt adhibita, uti ex eorum ſcriptis h) patet. Conficiebant ea ex ligno, ſubere, argento, auro, glomeratis filis, cera, & excavatis nucib. juglandib. cet. & ut eo facilius extrahi poſſent, in inferiori loco filo muniebant. — Unum eorum, quod nuperrime iterum innotuit, eſt id quod SANDYS compoſuit, & quod per longa tempora ſub oblivionis pulvere delituit. Conſtat ligno orbis forma, quod probe excavando tenue leveque factum eſt.

Ill.

h) SCULTETI Armament. Chirurg. ex edit. Sprög. 8. p. 32. Tab. 19. HILDANI obſervationes Chirurg. Cent. IV. Obſ. LXI.

Ill. Denman i) inquit: hoc eſſe non tantum facile adplicatu, ſed etiam commodum latu, nec tam facile, ut alia, excidere. Uſus ejus poſtea ſe oſtendet.

§. 54.

Peſſaria rotunda circuliformia facta, memorat Bauhinus k) & plures alii ante hunc auctorem. Poſt eum laudabant eam formam Mauriceau l), Puzos m), Smellie n). Nuperrime etiam Ill. Starke o) ligneos ex buxo tornatos annulos commendavit. Amplitudo complecti debet in diametro ultra tres pollices, craſſitudo vero num-

i) Journal für Geburtshelfer 1. St. 1787. p. 85.

k) Appendix ad F. Rouſſeti Hiſtor. p. 497.

l) l. c. T. I. p. 390.

m) l. c. p. 241.

n) l. c. p. 425.

o) l. c. p. 175.

numquam superet quinque lineas. Postea ter vel quater cera tingantur, donec habeant aequalem crassitudinem. Fatetur quoque, se ope eorum multis miseris auxilium praestitisse, opemque tulisse felicissimam. — Pessaria triangularia & quadrangularia jam, me sciente, non amplius in usu sunt: quia nullam adferre opem videntur.

§. 55.

Jam mentionem faciam de eo Pessario, cujus meminit Ill. LEVRET p), in numero *planorum ovi forma* factorum, quod adhuc etiam cum utilitate usurpatur. Constat subere & mixtura e gypso & cera. — Suber oportet esse album, nec arrosum vermibus, ope limae eo usque elaboratum, ut forma instar ovi proveniat, cujus major diameter, circiter duo vel tres pollices, (Zoll) minor vero

p) Journal de medecine T. XXXIV. p. 435.

vero ad ſeptimam partem minor eſt, & in maxima rotunditate, octo usque decem lineas craſſum eſt, quod verſus oras vero, & maxime verſus centrum tenuitate creſcit. Curatur, ut per quartam partem horae ſiccetur in fornace, immediate poſt extractionem cocti panis. Tum ad manus ſumitur ſilex paullo gravior, quam ſuber eſt, alligatur ei filum, & huic poſtea acus duobus capitibus. Haec acus dirigitur per mediam aperturam peſſarii, & transverſim ſuper eam. Tum omne id imponitur in vas planius teſtaceum, lapide infra jacente, quod inditur aquae bullienti. Huic vaſi adfunditur quantitas cerae virgineae, & tam diu ſinitur eſſe in eo ſtatu, donec ſuber ſe plane ſugendo expleverit. Continuo vero ac ſemper neceſſe eſt, quamdiu vas ineſt, ut aqua ebulliat. Hoc facto, vas eximitur aqua, atque ſimul ope forcipis peſſarium; omnia tum aqua frigida refrigeſcant, reſecetur filum cum acu, &

ſiccetur poſtea in aëre ſicco, ſed non nimium calido. Tunc peſſarium intingitur in mixtionem compoſitam, ex novem partibus cerae & una parte gypſi in pulverem triti, & quidem toties, donec peſſarium ubique circiter lineae craſſitudine aequali cera obductum eſt q). (vid. Tab. I. Fig. 2.) Cum hoc peſſario convenit id, quod ASTRUC r) commendavit: at modo cerae addit therebinthinam & reſinam albam.

Inventum STAUDTII s) *peſſarii, ex virgis ſalicis albae* confecti, hic meretur mentionem. Eligit recentes virgas ex ſalice, ſcindit eas in tenues portiones, radit poſtea circiter usque ad craſſitudinem duarum linearum, & emollit aqua viva frigida, ita ut

q) Utimur eo in Clinico noſtro & quidem ad hoc usque tempus ſucceſſu optato.

r) l. c. T. III. p. 416.

s) Ill. BALDINGER neues Magazin für Aerzte 9. B. 3. St. p. 271.

ut tenacissimae fiant. Tum saepius facta impositione virgarum paratur annulus, ovi formam referens, qui pro diametro diversus esse potest. Tum peripheria circumnectitur cum paullo tenuioribus virgis, paulisper siccatur, ac tum circumvolvitur gossypiorum filis, quo cera, cui intingitur, melius adhaereat. Ex ejus sententia habet prae aliis praerogativas sequentes: non habere tam latas oras, non tam facile frangi, nullo negotio extrahi posse, dum digitis comprimi & in longiorem formam redigi possit pessarium: salices non inturgescere humiditate, nec ciere molestias. Per varias adplicationes se de eorum usu convictum esse confirmat.

§. 56.

Postquam modum conficiendorum pessariorum jam usitatorum rotundorum descripsi: jam pergo ad eorum adplicationem. Sumitur ovale pessarium, tingitur oleo, & tenetur pollice & digito indice dextrae manus,

nus, & ingeritur verſis duobus planis lateribus ad oſſa iſchii, in longiori diametro. Ut primum ſuperior ejus pars in fundo vaginae eſt, erigitur inferior pars ſua directione in altitudinem, ut peſſarium jaceat in linea horizontali, ita ut major diameter verſus oſſa iſchii, ſuperior apertura verſus orificium uteri, inferior verſus orificium ani vertatur. Commodum ex ovali peſſario eſt id, quod eo minus ferat incommodi, ſi vel alvus levetur, vel urina emittatur: quia minor ejus diameter anguſtior eſt, quam major. *Adplicatio rotundi peſſarii* priori plane eſt ſimilis, tantummodo perinde eſt, quae ſectio peſſarii prius inferatur: quia nec major nec minor diameter locum habet. — In genere verſatur in eo ſumma rei, ut jaceant horizontaliter: quia facile per leviſſimam declinationem excidunt. Si vero excidunt, etſi omnis cura ſit adhibita, tunc ſunt ſane juſto minora, atque majora deſiderantur.

§. 57.

§. 57.

Ad *pessaria munita pede*, refertur primo Roonhuysianum, t) quod confectum est ligno fraxineo in forma piri. In extremo inferiori sunt quaedam foramina ad constringenda ligamina.

Pessarium Sureti u) effectum est ex ebore, & constat annulo laevi, qui nititur tribus obliquis pedibus, in quibus iterum est pes (Stiel) adfixus, recta linea demissus, qui in sua capsa vertitur, atque giratur, in qua infra foramina sunt, ad figenda quaedam ligamina, ex quibus duo ab anteriori parte super inguina trahuntur, duo per posteriora super os sacrum in altum erecta sunt, quae se inserunt in fasciam corporis. Sed

t) Heel-konstige Aenmerkingen. Amst. 1663. p. 94.

u) Ill. Camper l. c. p. 112. C. Bauhinus mentionem facit talis pessarii in appendice ad F. Rouss. Hist. in op. Spachii. p. 488.

Sed triſtia exempla, quod ſegmentum inferius uteri, per annulum inter pedes peſſarii delapſum, ſeſe compreſſerit; nec non frictio ac tenſio ligacularum inter corporis motum, id inventum aboleverunt.

§. 58.

Peſſarium, cujus Ill. Camper v) meminit, compoſitum eſt ex Roonhuyſiano & Suretano, loco annuli & pedum obliquorum, orbem concavum adhiberi juſſit, habentem duo pollices rhenanos in diametro, ac quatuor foraminibus eſt perforatus. Orbis terminatur in pede craſſo verſus extremitatem $\frac{3}{8}$ pollices, poſtea vero tranſit iterum in rotundum planum ab duobus lateribus finem, duobus etiam foraminibus perforatum eſt, ad figenda ſubligacula, quae deinde in vinculo figuntur. Pes ipſe habet longitudinem $3\frac{5}{8}$ pollicis.

§. 59.

v) l. c.

§. 59.

Prae aliis omnibus antecellens peſſarium eſt id, quod Ill. JUVILLE w) inventorem habet.] Elaboratum eſt ex ebore, ac tribus partibus conſtat, quae invicem intorqueri retinaculis poſſunt. Superior pars A (Tab. II. Fig. 2.) oſtendit formam parvi calicis, qui in oras deſinit craſſas lineam tenuem. Magnus diameter ab a—b tenet octodecim usque ad viginti lineas, minor verò quindecim ad ſeptemdecim (Fig. 3.) d—e. Anterior ora (Fig. 3.) d paululum eſt exciſa ob ſitum obliquum ſegmenti inferioris uteri. Hic parvus calix ſe aperit in cylindri forma B, (Fig. 2.) qui circiter longitudine eſt 2¾ pollicis, (Zoll) atque ¾ pollicis in diametro, ceterum vero, ſicut ſuperior pars; tenuiſſime elaborata eſt. Inferiori in parte videre eſt retinaculum (Schraube) in f. quo ad oblongam quadratam (Fig. 4.) partem adjun-

w) Traité des bandages herniaires p. 17.

adjungitur, quae oras laeves habeat oportet, ne incommodum faciat. (Hoc peſſarium ſecundum ejus magnitudinem ad naturam ſculptura curavi exprimendum.)

§. 60.

Faſcia, qua hic vir utitur ad retinendum peſſarium, quod etiam in hernia vaginae uſui eſt, a me paullo minor eſt delineata, ſecundum authenticum exemplum, quod Vir Ill. FISCHER ipſe poſſidet, cujus benevola mente in hunc finem id obtinui. (Tab. II. Fig. 1) Conſtat haec ex cingulo, (Leibbinde) a. a. a. a. quod in b. globulis connectitur. In c. c. c. c. ſubligacula (Beinriemen) filaminibus alligata ſunt, quae in quatuor foraminibus partis inferioris peſſarii d. d. adfixa ſunt. In parte ſuperiori ſubligaculorum (Beinriemen), oſtenduntur particulae quadratae, ex reſina elaſtica, quae obductae ſunt pannis ſericis (ſouflet). Ut

oſtende-

oſtenderem, quomodo reſina elaſtica ibi poſſit adfigi, in duobus loramentis e. e. pannos omiſi.

Haec faſcia inter omnes commodiſſima eſt: nam cedit flexionibus corporis, cavetque tractus peſſarii in vagina. Nocturno tempore teneri poteſt, ſi peſſarium eximere placet. Unicum incommodum eſſet vero, quod partim ſubligacula, partim quadratum, fricationem exteriorum genitalium excitet, quod vero omnibus adhuc faſciis eſt reprehendendum.

§. 61.

Ill. Steidele x) praedicat, in prolapſu uteri inveterato ebur, vel ligno elaboratam rotam, duobus pollicibus in diametro, quae ſiſtitur, quatuor cuneatim concurrentibus pedibus,

x) Samml. verſchied. Beobacht. chir. Vorfälle 3 B. p. 171.

dibus, in quibus agilis axis eſt, in quo ſubligacula ſunt adfixa.

Methodus inductionis peſſariorum cum pede munitorum, conſtat ſequenti ratione: ſitu debito ab aegra facto, pes oleo illiti peſſarii capitur inter pollicem & digitum indicem dextrae, tenetur oblique, & ſuperior planities oblique ab latere infertur, poſtea vero magis magisque torquetur, usque dum penetratum eſt per conſtrictorem vaginae, ubi tum poſtea plane vertitur, & ad debitum locum fertur, congruisque faſciis firmatur.

§. 62.

Jam venio ad *elaſtica peſſaria*, ex quibus quinque modo nominabo:

Primum, quod profero, eſt peſſarium, quod GOELICKE y) invenit. Totum eſt co-

ni

y) l. c. p. 551. §. 19.

ni inſtar formatum, cum ampla baſi, & cuspidis in forma coni detruncat. Factum eſt ex modice craſſis, ad formam deſcriptam complicatis filis ferreis. Hic conus interne obductus eſt linteo, externe vero corio molli. In baſi adligatae ſunt duae teniae, quibuscum in caſu neceſſitatis extrahi poteſt. Comprimi poteſt, & iterum, preſſione ceſſante, redit in ſuum locum.

§. 63.

Ill. Aitken z) laudat veſicam, quae vaginae inditur, atque poſtea cum tubulo mobili inflatur, qui antea veſicae alligatus & adfixus eſt. Si aëre eſt impleta: tunc tubulus extrahitur, & veſica valvula occluditur. Id modo dolendum, quod ea veſica facillime exeat, ac pro fecundo, brevi tempore in putredinem abeat.

 Peſſa-

z) l. c. Plate M. Fig. 1.

Peſſarium ex chalybe excuſum Ill. SAVIARDI a) huc quoque referatur. Conſtat cingulo (Leibgürtel) cui juncta eſt lamina ex chalybe, quae curvatur usque ad vaginam, in qua parvus eſt pulvillus, qui fulcit uterum. Laude effert hoc peſſarium in prolapſu uteri, ubi quodvis aliud immanere recuſabat.

§. 64.

Peſſarium, quod forſan injuſte in numero elaſticorum poſui, eſt ovale, quod etiam Tab. II. fig. 5. ſecundum naturalem magnitudinem delineatum eſt, cujus quoque, ut mihi videtur, nulla in ephemeridibus litterariis mentio adhuc eſt facta. Conficitur Pariſiis a fratribus BERNARD & conſtat linteo, quod imbutum eſt reſolutione reſinae elaſticae. Superior planities ejus eſt concava,

a) l. c. p. 47.

cava, inferior convexa: ergo ejus mira levitas, & quodammodo vis elastica, quae compressionem aliquam admittit, atque non facile metuenda arrosio, atque tumefactio, maxime commendant. — Pari modo, quam ovalia illa, ingeritur.

§. 65.

Ultimum pessarium est id, quod Ill. Juville b) fecit. Constat lagenula e resina elastica confecta, suadet uti ea ambitum habente mediocris ficus. In fundo lagenae e regione colli vult, ut fiat apertura trium linearum in diametro, atque in ambobus lateribus lagenae filum, ut eximi possit, annectatur: tum fieri, ut fundus a pondere superjacentis segmenti inferioris uteri deprimatur, atque lagena formetur in figuram infundibuli. At vero experientia cum docebat de-

 inde

b) l. c. p. 181. Tab. 13. Fig. 4.

inde malum effectum: nam collum uteri se in aperturam factam demiserat, atque compresserat, doloresque & alia symptomata produxerat. Meditabatur ergo de ejus correctione, quae in eo constat. Mutabat formam pristini pessarii in formam salinae, seu parvi calicis, ambasque aperturas ejus infundibulo aureo combinabat, ad impediendam compressionem, atque effluxum mensium fluorisque albi non retinendum. (Loco aurei infundibuli Ill. Fischer commendat vitreum, optime quoque fini accommodatum: nam fractio ejus non facile metuenda: quia circumdatum est massa molli & elastica.)

§. 66.

Quod vero figura, quam Ill. Juville describendam curavit, mihi non satis placet, in Tab. I. Fig. I. tale pessarium secundum

na-

naturalem magnitudinem delineandum, curavi, atque ſpero fore, ut ex hac pictura, modus conficiendi perſpicue cernatur. Sumitur lagena ex reſina elaſtica duobus vel tribus pollicibus, premiturque fundus verſus collum lagenae introrſum, perforatur, ita ut ſit apertura collo parallela, ac poſtquam antea fundus in ea poſitione adfixus eſt, firmiter conjungitur aureum vel vitreum infundibulum, quod amplitudinem aere expreſſi habere debet, & quod inferius in collo lagenae adfigitur, dum duo parva foramina facienda ſunt. Fila in utroque latere annexa inſerviunt ad extrahendum peſſarium. — In inductione comprimitur hemisphaerium, illinitur oleo, atque preſſum infertur, dum poſtea latus concavum ſuperne vertitur. Id negotium ipſae feminae peragere poſſunt, id quod permagnam ſecum fert commendationem c).

 Jam

c) Si prolapſus fuerit inveteratus, & femina

Jam reliquum eſſet dicere de peſlariis cylindricis, quae in prolapſu & hernia vaginae adhibentur. Sed thema meum, quod modo ea deſcribenda ſuſcepit, quae in uteri prolapſu uſui ſunt; me ſatis excuſabit.

§. 67.

Jam quaeritur: quomodo peſſaria tutiſſime cuſtodiantur, ab tumefactione & putrefactione cet., cui expoſita ſunt in fundo vaginae? — Peſſaria male compoſita facilius

na multipara eſt, tum ſaepe hoc peſſarium juſto levius eſt, excidit: ergo Ill. Juville conſulit: illud munire lamellis ex chalybe, digiti lati ſpatium habentibus, per ſubligaculum inguinale, (Leiſtenbruchband) firmandis, atque ſeſe curvantibus usque ad inferiorem partem vaginae. Sed nonne melius auxilium ferret, ſiquis in his caſibus inventam faſcium cum peſſario adhiberet?

lius corruptioni ſunt ſubjecta : inde melius actum foret, ſi plane non ſumerentur, e. g. talia, quae vel nulla vel pauca cera ſunt obducta, aut quae ex mero ligno ſine veſtitu confecta ſunt. Ea vero ſi tamen uſurpantur, tum bene agitur, ſi ſaepius eximantur, vel ut LEVRET d) conſilium praebet, interdum ope metrenchytae aqua calida mixta cum vino inſpergatur.

Moleſtiae & damna, quae comitantur, peſſario diu remorante in vagina, ſunt varia, multique medici de ea re expertos caſus proferunt. Inter alios MAURICEAU e), MORAND f), SAVIARD g), Ill. STEIDELE h), Fi-

d) l. c. T. XXXIV. p. 453.

e) l. c. T. II. p. 174. Obſ. 453.

f) Memoires de l'Academie royale de chirurg. T. III. p. 614.

g) l. c. p. 47 – 49.

h) l. c. p. 113.

Figuet i). Huc referre possum casum ex nostro Instit. Reg. Clinico, ubi mulier pessario liberabatur, quod multos periculosos effectus effecerat.

§. 68.

Uxor emeriti militis, quae vocatur Droehnen, agens circiter trigesimum septimum annum aetatis, macilenta constitutione corporis, post primum puerperium prolapsu uteri adficiebatur, qui ei regestus erat per ligneum pessarium. Post decimum quartum annum, cum misella uxor non amplius pessarii memor fuisset, varii dolores ab ea sentiebantur, in vagina, inter urinandum, in tota pelvi. Interdum dolores colici, obstructiones alvi, excretio urinae involuntaria, aliaque plura symptomata orta, quibus rebus coacta fuit, medicum consulere. Recipiebatur

i) Journal de med. T. XLIII. p. 530.

batur MDCCLXXXVI decimo ſeptimo Oct. in Clinico, ab Ill. Directore FISCHER explorabatur, poſtea quam antea de cauſis quaeſtionem habuerat. Confeſtim vero vaſtationes reperiebantur, quas peſſarium tam diu retentum fecerat: quae erant canales fiſtuloſi, inter veſicam urinariam & vaginam, & inter inteſtinum rectum & vaginam conſpicui ſub peſſario, quod arcte circumdatum erat per tunicas vaginae. E vagina ergo profluebant feces, conjunctae cum ichore ſanguinolento. Tandem periculum factum eſt, extrahendi peſſarium in ſella ad partum, atque hoc in tantum ſuccedebat, ut, at non absque operoſo labore, atque cum profuſione ſanguinis quadam, quaedam fragmenta ope digitorum eximerentur, quia fere impoſſibile erat, omnia plane eximere, quia quaſi ad vaginam increverant. Nec fieri poterat, ut quis ex adductis rationibus, forcipe uteretur. Facta penitiori

contem-

contemplatione frustulorum pessarii, inveniebatur, quod illud lignum fuerit. Externa superficies tota obducta erat crusta, quae verosimiliter generata erat, ex urina proveniente ex fistulosa apertione, ex ichore aliisque humoribus. Quaedam frusta delineanda curavi in Tab. I. Fig. 4, & mea quidem sententia hoc pessarium *Sureti* fuisse videtur. — Curam vero radicalem hic suscipiendam non poterat sperari; sed tamen eo spectatum est, quantum poterat, ut symptomata redderentur tolerabiliora. In subsidium vocabantur injectiones emollientes ad vaginam, cataplasmata emollientia ad regionem pubis; interne vero emulsio arabica camphorata, ad dolores minuendos, & inflammationem partium moderandam. — Tempore aliquo post, molestiae minuebantur, & quia nulla cura radicalis possibilis videbatur, dimittebatur. Quomodo se jam habeat, ignoro, quia ex hac urbe demigravit.

§. 69.

§. 69.

Huic allato caſui, alii non abſimiles ſunt, quos obſervatores ſupra nominati experti ſunt. MORAND mulieri eximebat peſſarium argenteum plane corroſum, quod excitarat multos dolores & exulcerationes in vagina. Ill. SAVIARD cum forcipe extrahebat buxo factum conum, qui intolerabilia pathemata, excoriationes & exulcerationes effecerat. In alia muliere extrahebat globulum cereum libra gravem. In alia peſſarium ex ſubere, quod cera non fuerat munitum, & magnas moleſtias, exulcerationes in fundo vaginae, febres, aliaque ſymptomata commoverat. Adhibebat ad ulcera curanda injectiones deterſivas. Ill. FIGUET protraxit forcipe Levretiana peſſarium, quod per magnitudinem exulcerationes fecerat. Ill. STEIDELE protraxit ſemiputrefactum peſſarium ex vagina anus octuagenariae, cum antea ob rigiditatem partium injectiones emollientes, cata

plasma-

plasmata emoll. ad abdomen adplicari jussisset.

§. 70.

Hi in medium prolati casus sufficient, ut credo, ad id praestandum, quod praestandum susceperam, h. e. indicare damna quae pessarium diu retentum adferre potest. Ergo semper regula stat, quae jubet: saepiuscule eximere feminis pessarium in positione horizontali, atque purgare, aut si arrosum vel alio modo corruptum sit, abjicere, aliudque in locum substituere: ubi tum finis quaesitus non facile fallet, scilicet uterum retinendi in suo loco, si videlicet, a fundo relaxato vaginae sustineri nequit. — Ex reliquo pessarium nullum curat prolapsum uteri radicaliter, sed ejusmodi feminae coguntur id ferre continuo in vagina, nisi iteratum prolapsum, metuere velint.

TANTUM.

Tab. I.

Fig. 3.

c

d

A

b

e

B

Fig. 4.

Fig. 2.

Fig. 1.

a

b

Fig. 4.

Fig. 4.

Grupe del et fc

EXPLICATIO TABVLARVM.

TAB. I.

Fig. 1. Juvillianum Peſſarium, conſtans lagenula e reſina elaſtica facta.

a Infundibulum aureum.

b Ligaculum ad extrahendum.

Fig. 2 Levretianum Peſſarium.

Fig. 3 Metrenchyta.

A Eburnus cylindrus.

b canalis ejus.

c parva cavitas qua canalis finitur,

d quae tecta eſt operculo cum quinque orificiis, quibus fluida ſuguntur & emituntur.

B Lagena ex reſina elaſtica, quae cum filo e. alligata eſt cylindro, qui in eo loco excifus eſt.

Fig. 4 Quaedam fragmenta peſſarii, diu rete in vagina.

Tab. II.

Fig. 1. Juvillii faſcia (Bandage) minor facta ad peſſarii eburnei ſirmam alligationem.

a. a. a. a. Cingulum (Leibbinde).

b. locus ubi connectitur.

c. c. c. c. Subligacula (Beinriemer) in eo loco, ubi ad cingulum ligantur.

d. d. Loci ubi in poſteriorem partem C. peſſarii adnectuntur.

e. e. particulae reſinae elaſticae.

Fig. 2. Peſſarium eburneum ad hanc faſciam.

A. ſuperior pars in majori diametro a. b.

B. Cylindrus cum retinaculo f.

Fig. 3. Pars ſuperior ejusdem peſſii in directione minoris diametri d. ecum excifione praecipue notanda d.

Fig. 4. Poſterior pars peſſarii, ubi in matre cochleae, a. altera pars peſſarii torqueri poteſt.

Fig. 5. Peſſarium fratrum Berrd cum ſuperficie concava.

Tab. II





Fig. 2.



Fig. 3.


Fig. 5.




Fig. 4.




Fig. 1.

THESES.

1. *Causa proxima prolapsus uteri semper in debilitate fundi vaginae, non vero in ligamentorum relaxatione quaerenda est.*

2. *Balnea frigida, in paroxysmo podagrico ad pedem aegrotantem adplicata, non imitari debemus.*

3. *Clysmata frigida in moliminibus haemorrhoidum saepissime cum fructu adhibita esse, testatur experientia.*

4. *Corticem mezerei, externe rheumatismis adplicatum, efficaciorem esse, quam vesicatoria, plane nego.*

5. *Uterum gravidum prolabi posse, credo.*

6. *Vulnerum sanatio per reunionem, illi per suppurationem, non postponenda.*

7. *Exstirpatio scirrhi & cancri, medicamentorum internorum usui, semper praeferr. potest.*
